

signa et prodigia. Ergo non sit ambitio saeculi. Ambitio saeculi superbia est. Jactare se vult in honoribus ; magnus sibi videtur homo, sive de divitiis, sive de aliqua potentia.

14. Tria sunt ista, et nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione saeculi. Per ista tria tentatus est Dominus a diabolo.

Desiderio carnis tentatus est, quando dictum est ei : « Si Filius Dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant » ; quando esurivit post jejunium. Sed quomodo repulit tentatorem, et docuit pugnare militem ? Adtende quid illi ait : « Non in solo pane vivit homō, sed in omni verbo Dei. »

Tentatus est et desiderio oculorum de miraculo, quando ei dixit : « Mitte te deorsum, quia scriptum est : Angelis suis mandavit de te, ut suscipiant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. » Ille restitit tentatori : si enim faceret miraculum, non videretur nisi aut cessisse, aut curiositate fecisse : fecit enim quando voluit tamquam Deus, sed tamquam infirmos curans. Nam si tunc faceret, quasi tantummodo miraculum voluisse facere putaretur. Sed ne hoc homines sentirent, adtende quid respondit ; et quando tibi talis tentatio evenerit, dic illud et tu : « Redi post me, Satanas ; scriptum est enim : Non tentabis Dominum Deum tuum », id est : Si hoc fecero, tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere. Quando tibi suggerit inimicus : Qualis homo, qualis Christianus ? modo vel unum miraculum fecisti, aut orationibus tuis mortui surrexerunt, aut febrientes sanasti ? si vere esses alicujus momenti, faceres aliquod miraculum. Responde et dic : « Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum » ; non ergo tentabo Deum, quasi tunc pertineam